



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**R. P. Sebast. Izquierdo Alcarazensis Soc. Iesv, svpremis  
Inquisitionis Senatvs Censoris, Et Olim Complvti SS.  
Theologiæ Professoris. Pharvs Scientiarvm**

**Izquierdo, Sebastián**

**Lugduni, 1659**

Quæst. 1. Quid sit vnum, quid vnitas, & quotuplex.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95620](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95620)

sit obiecti perfectionis; sed quia, quò perfectius est obiectum, extrinsecè ab illo, tanquam à circumstantià quādam euadit ea conuenientior, appetibiliorque cognoscendi, si cætera sint paria. Quo eodem pacto amor obiecti perfectionis conuenientior amanti est, tametsi intrinsecè non propterea perfectior sit, quòd est obiecti perfectioris. Quamuis autem, maius bonum connaturaliter, & regulariter, maiorem de se, atque adeo magis intensam intrinsecè delectationem pariat: Id tamen necessarium non est, cum videamus sæpe homines intensius de minoribus bonis, quàm de maioribus delectari.

- 87 Quæ quidem doctrina inde etiam confirmanda venit: quia in actibus odij, eò minor bonitas, cæteris paribus, reperiri solet, quo eorum obiecta sunt meliora, ob id actus odij Dei reliquis peius est. Quod argumentū imprimis est, intrinsecam bonitatem actuum penes intrinsecam ipsorum naturam; non verò penes bonitatem obiectorum, seu terminorum taxandam esse. Deinde ne intrinsecam quidem bonitatem illorum eò semper maiorem esse, quo obiectorum, vel terminorum maior est bonitas.

Vnde planè colligitur, effectum illud, quod vulgò solet circumferri: *eò perfectior est actus, cæteris paribus, quò perfectior est eius terminus*, falsum imprimis esse, si intelligatur de perfectione actus intrinsecæ. Deinde, etiam si intelligatur de extrinsecâ non vniuersaliter, sed suis cum exceptionibus esse verum.

### Propositio 5.

Actus re ipsâ formales non euadunt necessariò inæquales quoad suum esse intrinsecum ex eo quòd eorum subiecta sunt inæqualia; sed æquales esse possunt intrinsecè quantumuis eorum subiecta inæqualia sint inter se.

Hæc propositio perinde ac præcedens probanda venit: quia actus, de quibus agit, perinde veniunt, quod ad rem attinet, comparandi ad sua subiecta; atque ad suos terminos. Supponitur autem in tota hac quæstione ex dictis *disp. 8. de subiectis prædicationis actuum sermonem esse*, sub eisque proinde principia actuum, de quibus illi prædicantur comprehendendi.

## DISPUTATIO XVII.

### DE VNITATE, ET MVLTITVDINE ENTIVM, seu rerum; atque adeò obiectorum intellectus humani.



In hac disputatione primùm de vnitatis, & multitudine entium in vniuersum breuiter disseram. Deinde de vnitatis, & multitudine obiectorum intellectus nostri prout talium agam, atque ita de obiecto vniuersali, quod definitur *unum in multis*, de quo ipsi correspondente particulari generatim sumptis imprimis; mox verò de eisdem speciatim acceptis; atque adeo de singulis prædicabilibus potissimum mihi sermo erit; circa quæ breui etiam perstringam, ut soleo, quæ apud Autores obuia sunt, & vel minore egent explicatione, vel ad institutum, quod insequor minus conferunt, nonnihil amplius cætera producturus.

### QVÆSTIO PRIMA.

#### Quid sit vnum, quid vnitatis, & quotuplex?



NVM sic solet vulgò definiri: *est ens indiuisum in se, & diuisum à quolibet alio*. Arist. tamen, lib. 5. *Metaph. cap. 6.* ita vnum vniuersè sumptum describit: *vniuersaliter namque quocumque non habent diuisionem, quatenus non habent, eatenus vnum dicuntur*. Et quibus verbis aperte constat vnum sufficienter definiri per illa priora verba definitionis vulgaris: *est ens indiuisum in se*. Vnde plerique à definitione vnius remouent reliquas particulas, & *diuisum à quolibet alio*, quasi ad rationem vnius formalem non pertinentes. Ita Soar. *disp. 4. Metaph. sectione prima*, Fons. *libro quarto, Metaph. cap. 2. q. 5. sec. 5.* Gillius in 1. p. lib. 2. *tract. 3. cap. 5.* Fasol. plures pro eadem sententiâ referens in 1. p. q. 11. *art. 1. dub. 14.* contra Nazar. Suesan. & alios etiam à se relatos. Id quod haud dubiè sentit itidem S. Th. dum in *ca. q. 11. alijs-*

*que in locis sæpe vnum definit per solam indiuisiōnem entis in se.*

Sed est difficultas in hac quæstione vadè celebris, quid addat vnum supra ens, quidue per indiuisiōnem, à qua ens indiuisum in se; atque adeò vnum euadit intelligatur? an positium quid, an potius aliqua negatio? Prima sententia est, vnum supra ens nihil omnino positium addere; sed meram negationem. ita S. Th. 1. p. q. 11. *art. 1. alijsque in locis*. Soar. *supra n. 6.* Fons. *sec. 4.* Fasol. *dub. 5.* Gillius *cap. 3.* Arriag. *disp. 1. Metaphysice sec. 3.* & apud eos alij plures; qui tamen inter se non conueniunt in assignandâ negatione, quam vnum addit supra ens. Nam Caiet. Argent. Nazar. apud Fasol. & Gill. *supra* censent, esse negationem, quâ ens nō est diuisus à seipso. Soar. verò Fasol. & alij, esse negationem, quâ ens in se non est diuisus in plura.

Secunda sententia est, id, quod addit vnum supra ens, non negationem; sed aliquid positium esse. Ita Vasq. *rom. 2. in 1. p. disp. 128. c. 2. cum S. Bon. & alijs.* Petr. Hurt. *disp. 4. Metaph. Auic. Scot. & plures alij apud Soar. & Fasol. supra*. Qui etiam inter se non consentiunt, quatenus Auic. Scot. & sui ex naturâ rei distinguunt ab ente id positium, quod vnum supra ens in ipsorum sententiâ addit; cæteri verò, dumtaxat distinguunt per rationem.

Pro

Pro resolutione suppono primò, ea dici propriè diuisa, quæ, cum sint inuicem distincta, unita inuicem non sunt: diuisio quippè propriè sumpta negatio unitatis est distinctorum; duoque proinde inuoluit in conceptu suo; distinctionem scilicet, & carentiam unitatis extremorum, quæ diuisa dicuntur. Quocirca ea dicuntur propriè indiuisa, quæ vel inuicem identificata, vel inuicem unita sunt. Vnde colligitur, indiuisiōem entis in se, per quam definitur vnum, non propriam, & strictam, sed latam indiuisiōem esse, qualis est indistinctio, diuisio enim, & distinctio, indiuisiōque, & indistinctio pro eodem sæpè in hac materiâ vsupati solent, vt apud præcitos Auctores cernere est. Et quidem nomine indiuisiōis, per quam vnum definitur, non indiuisiōem strictam; sed indistinctiōem venire intelligendam tum apud Arist. tum apud alios Antiquiores (quidquid recentiores aliqui contra sentiant) manifestum est in S. Th. id sæpè supponente. Ait enim in 1. dist. 24. q. 1. art. 3. ad 1. *Ad primum ergo dicendum, quod in multitudine negatio est secundum quod una res distinguitur ab aliâ per negationem; unde in multitudine est negatio, vel priuatio realis, secundum quod una res non dicitur esse alia, & huiusmodi distinctionem per negationem negat negatio importata in ratione unitatis.* Et 1. p. q. 1. art. 2. ad 4. *Primò, inquit, cadit in intellectu ens: secundo, quod hoc ens non est illud ens, & sic secundo apprehendimus diuisiōem.* Ecce diuisiōem appellat distinctionem illam à quâ vnum ens non est aliud ens. Et q. 29. art. 4. in corp. ita definit indiuiduum; cuius definitio aut est eadem, quæ vnus, aut illam includit, vt infra suo loco exponemus. *Indiuiduum autem est, quod est in se indistinctum, ab aliis verò distinctum.* Itaque nomine indiuisiōis, per quam definitur vnum, non indiuisiō propria, & stricta; sed indistinctio debet intelligi. Id, quod ratio etiam manifestè suadet: quia, vt aliqua verè sint plura; atque adeo non vnum, non opus est, quod in se sint propriè, & strictè diuisa; sed satis, est, quod in se sint distincta; plura enim membra nostri corporis, & plures quæque partes cuiusvis compositi verè sunt plures partes, non vna, & tamen propriè, & strictè loquendo, non sunt in se diuisa; sed indiuisa, cum sint unita. Indiuisiō ergo propria, & stricta in se non facit vnum; sed indistinctio in se. Vt iam explico.

Suppono enim secundò, ad rationem vnus non omnimodam indistinctiōem entis in se requirere; alioquin, nullum ens compositum esset vnum: quia omne ens compositum habet in se distinctionem omnium suarum partium; atque adeo non est omnimodis indistinctum in se: solum ergo ad entis unitatem requiritur indistinctio eius in plura talia, quale ipsum est, qua ratione dicitur vnum. E. G. vt aliquod ens sit vnus homo, scilicet, quod sit in se indistinctum in plures homines; vt sit vnum animal, quod sit in se indistinctum in plura animalia; vt sit vnum membrum, quod sit in se indistinctum in plura membra eiusdem rationis; vt sit vna pars, quod sit in se indistincta in plures partes eiusdem rationis &c. Id quod Arist. haud dubiè sibi voluit, cum dixit lib. 5. Metaph. cap. illo 6. citato. *Vniuersaliter autem, quotcumque non habent diuisiōem, quatenus non habent, eatenus vnum dicuntur, vt puta, si prout homo non habet diuisiōem, vnus est homo: quod si prout animal, vnum animal, &c.* Hinc plane constat, cur exercitus, populus, numerus, ac demum multitudo quæuis suam

Pharus Scientiarum, Tom. II.

nihilominus unitatem habeant, tamen si aliunde sint quædam multa; quia nimirum, tamen si exercitus, aut populus sit plures homines, eo quod in se habeat distinctionem omnium eorum; proindeque in se indiuisus; siue indistinctus non est in plures homines, at in plures exercitus, aut plures populos eiusdem rationis verè indiuisus, siue indistinctus est in se; atque ita vnus verè est exercitus, aut vnus populus. Et numerus, aut multitudo quæuis similiter verè vnus numerus, aut vna multitudo est: quia in se indistinctiōem non habet plurius numerorum, aut plurius multitudinum eiusdem rationis; tamen si aliunde sint multa quædam eo quod in se habeant distinctionem omnium earum unitatum, seu partium, ex quibus coalescunt, cuiuslibet demum rationis sint tales unitates, seu partes. Vnde obiter colliges cõtra pleurosque Recentiores, ad unitatem cuiusvis aggregati, seu multitudinis nullam necessariam esse unitatem adhuc moralem partium eorum; quantumvis enim partes sint in unitate constituent quoddam in se indiuisum in plura aggregata, seu multitudines eiusdem rationis.

Suppono tertio ex dictis disp. 13. distinctionem sumptam formaliter aliam esse positiuam, quæ propriè dicitur distinctio, in actumque obiectiuo consistit, quo concipitur, vnum extremum distingui ab alio, & è conuerso: aliam esse negatiuam, quæ solum per quamdam illationem, atque adeo minus propriè distinctio appellatur, consistitque in negatione identitatis, quâ vnum extremum non est aliud, & vice versâ. Vnde indistinctio etiam est duplex, alia opposita distinctioni positivæ, quæ negatio quædam est eius: alia opposita distinctioni negatiuæ, quæ est ipsa identitas concepta per modum negationis sui contradictoriæ, prout dicebamus ibi. Quomodo autem negatio distinctionis positivæ extremorum identificatorum, & negatio positivæ identitatis extremorum distinctorum per quamdam æquivalentiam, non verò formaliter veræ, & reales negationes dicendæ veniant respectu nostri; tamen si formaliter dici debeant negationes à nobis factæ, eò quod negationes sunt conceptum solum in substitutis alienis, non verò in se; atque adeo solum à nobis, non verò à Deo, aut ab aliis intuentibus concepitibilium ex dictis disp. 11. & 12. satis est notum. Quomodo etiam, dum nos aliquid positiuum per modum negationis sui contradictoriæ concipimus; tamen illud conceptus positiuus absolute dicendus sit, quædam nihilominus negatio rationis ibi interueniat non ficta; sed supposititia ex doctrinâ disp. 12. & sæpè alibi tactâ compertum est.

Suppono quartò, distinctionem positiuam duplicem rursus considerari posse; aliam adæquatè intrinsecam alicui essentia, qualis est ea qua partes essentia compositæ inuicem distinguuntur, & intra essentiam ipsam est; sicut & ipsæ partes, cum quibus est realiter idem; aliam semicextrinsecam cuius essentia, qualis est ea, quâ quæuis essentia ab aliâ quâpiam sibi extrinsecâ distingui dicitur, quam utramque distinctionem positiuam sua negatiua proportionata consequitur. Et à distinctione quidè prioris generis essentia, quæ illam habet, distincta in se dici potest, aut etiam solet: à distinctione verò posterioris generis, quæuis omnino essentia dicitur distingui ab aliâ quâpiam. Hinc fit, vt duplex pariter indistinctio veniat consideranda; alia opposita distinctioni prioris generis, à quâ essentia, habes illâ dicitur indistincta in se, alia opposita distinctioni posterioris generis, à quâ essentia, huc

huc formalitas gaudens illa, aut à se ipsa, aut ab aliâ formalitate dicitur indistincta. Igitur indistinctio, à quâ vnumquodque ens euadit vnum, & in quâ subindè vnitas cuiusque entis consistit, ex illis est; quæ distinctionem remouent prioris generis, prout suppositione secunda expostum est; non verò ex illis, quæ remouent posterioris, vtpotè quæ etiam conueniunt multitudini, huc multis. Multa enim etiam quâ talia à seipsis sunt indistincta; non tamen sunt indistincta in se; sed potius distincta; & idè multa.

9 Suppono quincò, vnitatem, à quâ habet vnumquodque ens esse vnum, & posse sumi fundamentaliter, pro eo videlicet, quòd in se realiter est, & posse sumi formaliter; pro conceptu scilicet obiectiuo, quem habet in mente nostrâ obiectiuè, iuxta ordinarij modum, quem illam concipiendi habemus pro statu præsentis. Quo etiam pacto identitatem, & distinctionem entium in fundamentalem, & formalem diuisimus *suprà disp. 13*. His positis sic

### Propositio 1.

10 Vnitas, quam vnum supra ens addit non est quidpiam posituum aut realiter, aut ex naturâ rei formaliter distinctum ab ente.

Primo: quia illud posituum non posset non esse etiam vnum, vt patet. Vel ergò tale esset per aliud pariter superadditum, & sic abiretur in infinitum: Quod plane est impossibile. Vel per se ipsum, & sic idem ob eandem rationem de ente ipso venit dicendum; quò superadditum illud ad entis vnitatem non confert; atque adeo vnitas eius esse non potest. Secundo: quia, illo posituo præciso, adhuc manet ens in se indiuisum, & nullo modo multiplicatum: ergò tale posituum rursus redundat, nec vnitas entis potest esse.

11 Et quidem, quòd vnitas entis non sit aliquid posituum realiter ab ente distinctum, & ei superadditum apud omnes est certissimum, & prorsus in confesso. Quòd autem, neque sit aliquid posituum realiter identificatum cum ente, distinctum tamen ab illo, & ei superadditum formaliter ex naturâ rei, vt censent Scotistæ, satis, superque constat ex dictis à nobis contra eosdem *disp. 13, quest. 5*. vbi huiusmodi distinctionem formalem ex naturâ rei, tanquam penitus impossibilem multis rejicimus, in quo amplius non oportet morari.

### Propositio 2.

12 Vnitas fundamentalis, à quâ vnumquodque ens est vnum à parte rei, & independentè à nostris conceptibus, nihilo prorsus differt ab ipso ente, seu ab eius essentia.

Quia, nec est aliquid posituum ipsi enti superadditum, iuxta *propof. 1*. neque est aliqua negatio realis adiuncta à parte rei ipsi enti, quâ ratione negationes à parte rei entibus posituis dici possunt adiungi consentaneè ad doctrinam traditam *disp. 9, quest. 3*. vt videbimus *propof. 3*. nec est aliquid coalescens ex ipso ente, & ex alio quopiam extrinseco, vt si distinctio fundamentalis, quia illud ab alio quopiam distinctum est; quia vnumquodque ens, vt sit vnum, non indiget consortio alterius, quemadmodum, vt ab altero distinctum sit, vt est notissimum. Relinquitur ergò, vt vnitas fundamentalis entis ab ipso ente, seu ab eius essentia nihilo prorsus differat à parte rei.

### Propositio 3.

Vnitas formalis, quam vnum addit supra ens, seu potius supra subiectum, quod dicitur vnum, si sumatur pro indistinctione opposita distinctioni posituæ entis in se, negatio quædam est æquiuallenter quidem vera; sed formaliter ficta: Si verò, sumatur pro indistinctione, opposita distinctioni negatiuæ entis in se, formalitas est positua concepta per modum negationis; atque adeo secum ferens negationem rationis non fictam, sed supposititiam.

Hæc tota propositio integrè constat ex suppositionibus factis; quoniam vnitatem formalem, nus consistere in quadam indistinctione entis in se suppositione 1. statutum est: nimirum, in indistinctione, qua ens in se est indistinctum in plura talia, quale ipsum est, quâ ratione dicitur vnum, iuxta *supposit. 2*. huiusmodi autem indistinctionem entis in se, dicitur quidem ab indistinctione entis, vel à se, vel ab alio quopiam, iuxta *supposit. 4*. duplicem esse, alteram negantem distinctionem posituam: alteram negantem distinctionem negatiuam entis in se, constat ex *supposit. 3*. vbi etiam ex dictis alibi fusiùs statutum est: Primam in negatione quâdam consistere æquiuallenter quidem vera respectu nostri: formaliter tamen à nobis ficta. Secundam in identitate posituæ entis in se concepta per modum negationis sui contradictorij: atque adeo ferente secum quandam negationem rationis supposititiam. Liqueat ergo ex suppositionibus factis integra propositio.

Per quam quidem vnum quodammodo veniunt componendæ duæ commemoratæ, oppositæque Doctorum sententiæ, quarum altera in aliquo negatiuo, altera in aliquo posituo ponit vnitatem, quam vnum dicitur addere supra ens. Etenim S. Th. per negationem rationis, quam nos supposititiam vocamus, complet conceptum vnitatis, de quo non negat nihilominus; sed potius supponit esse quid posituum. Loquitur enim de vnitatis consistente in indistinctione opposita distinctioni negatiuæ entis in se; quæ nequit non esse quadam identitas entis in se, vt constat ex dictis; atque ita in *1. dist. 24. q. 1. art. 3. ad 1.* post verba recitata à nobis *suprà n. 5*. addit: *Vnde dico, quòd negatio ista, in qua perficitur ratio vnitatis, non est nisi negatio rationis tantum. Omnis enim respectus, qui est entis ad negationem, vel ad non ens, non est nisi rationis; unde relatio, qua refertur ens ad non ens, non est nisi tantum in ratione: Et similiter priuatio, qua de ente negatur non ens est in ratione tantum, vt priuatio priuationis, vel negatione negationis.* Quod etiam repetit in *respons. ad 2.* Cui sententiæ non refragantur Vazq. & sui: Facientur enim, id posituum, in quo vnitatem entis ponunt, concipi per modum negationis, quod ipsum est ferre secum negationem dictam rationis supposititiam. Soar. verò, & alij qui censent, in quadam negatione reali constituendam esse vnitatem, loquuntur de vnitatis consistente in indistinctione opposita distinctioni posituæ entis in se, quæ vnitas, quædam negatio est; æquiuallenter quidem realis; sed ficta formaliter, vt nos censemus.

Dixi autem in propositione, vnitatem potius subiecto, quod vnum dicitur, quam enti superaddi; quia ens, & vnum duo concreta metaphysica sunt vnicum tantum subiectum habentia; cui proinde amborum concretorum formæ superadduntur ad ipsa concreta componenda, vt constat ex generali doctrina

Et in tradita disp. 9. q. 2. & 2. concreti autem secundi forma unitas est.

- 16 Iam verò, ex dictis colligitur primò contra Petrum Hurtad. *supra*, unitatem entis compositi nullatenus in vnione partium eius consistere, vt ipse putat: fieret enim inde, vt aggregatum, quorum partes non sunt vnica nullatenus posset dici vnum. Tum, unitas entis compositi, & unitas entis simplicis non essent eiusdem rationis; proindeque, quæ conueniunt in ratione entis, in ratione vnus non conueniunt. Tum denique, unitas entis vniversè non esset indiuisio, siue indistinctio entis in se. Quæ omnia plane falsa esse, & contra omnes constat ex dictis.

- 17 Secundò colligitur, unitatem, quæ transcendentalis, & passio entis appellatur, & unitatem, quæ numerica, & principium numeri dici solet, eadem solùm differre, quatenus secunda supra primam addit respectum mensuræ ad mensuratum, & partis ad totum. Numerus quippe unitate, seu potius vno mensuratur, ex pluribusque unitatibus, seu potius ex pluribus vnis compositus est. Vtrum autem ex solis vnis quantis quantitate continuè coalescat numerus, qui est species quantitatis discretæ, vt volunt aliqui Thomistæ; an potius ex quibuscumque vnis etiam non quantis, vt volunt alij suo loco à nobis dicetur. Videantur interim Soar. disp. 5. *Metaph.* & Vasq. 1. part. *disput.* 128. & 129. Quomodo verò differat transcendentalis unitas ab unitate singulari, quæ etiam dicitur numerica, iuxta illud Aristot. lib. 3. *Metaph.* text. 14. *Singulare dicimus, quod vnum numero est.* in sequentibus explicabitur.

- 18 Tertiò colligitur, inter prædicata, quæ passiones entis dicuntur priorem esse ratione nostrâ distinctionem, quam unitatem, quâ prioritate id, quod negatur prius est conceptione nostrâ negatione, per quam negatur; siquidem, unitas negationem distinctionis præ se fert in suo conceptu, propter explicatum est.

- 19 Quartò colligitur, vnum, & multa quodammodo contrariè, & quodammodo priuatiue, siue contradictoriè opponi, propter videretur docere Aristot. lib. 10. *Metaph.* c. 5. fundamentaliter enim sumpta contrariè opponuntur; cum sint vt sic tam vnum, quam multa extrema quadam positiua, vt constat ex dictis; sumpta verò formaliter tanquam negatio quadam, & id, quod per illam negatur, opponenda veniunt, siquidem, unitas, indistinctio, atque adeo negatio quadam est, siue remotio distinctionis entis in se. Qua ratione est satis, superque in superioribus explicatum.

- 20 Restat iam, vt pro secunda quæstionis parte dicamus, quotuplex sit vnum, & unitas. Aristoteles lib. 5. *Metaph.* cap. 6. Vnum diuisum in vnum per se, & vnum per accidens, nonnullaque vtriusque exhibuit exempla. Ex quibus apparet, vnum per accidens ab Aristotele appellari quodvis concretum adiectiuum dicens in recto subiectum, & formam in obliquo, vt album, musicum, iustum, & similia: cum enim talis formæ talis subiecti accidens sit, quodcumque huic ab illâ provenit per accidens dicitur ei conuenire; atque ita propter illam habens, quo pacto concretum est adiectiuum, ens per accidens esse dicitur, habereque essentiam per accidens, propter ex eodem Aristotele à nobis explicatum est *supra disput.* 9. quæst. 2. Vnde similiter factum est, vt vnum per accidens dicatur. Et hæc est genuina, Aristotelicæ appellatio entis, & vnus per accidens, quidquid nonnulli contradi-

cant; iuxta quam ens per se venit appellandum quidquid vel quidpiam simplex est, vel si est compositum non adiectiuè, sed substantiue capitur; sumptis videlicet omnibus partibus eius ex æquo, & directe, quo pacto, vult ens per se, essentiamque per se habere dicitur sicuti vidimus loco citato, quantumvis sit aggregatum coalescens ex pluribus casu, & fortuito concurrentibus; vel vt cumulus lapidum, ita etiam vnum perfectendum est, quod planè significauit Aristoteles loco citato, dum in exemplum vnus per se attulit fascem vindulo colligatum, & ligna conglutinata visco; si verò, cuiuspiam nihilominus visum fuerit, aggregatum coalescens ex pluribus casu concurrentibus citra omnem naturalem, aut etiam moralem connexionem eo titulo vnum per accidens dici debere, non multum renuam: quia dissidium de solo modo loquendi est, quod, reintellectâ, parum interest.

Deinde, diuiditur vnum in simplex, & compositum. Simplex est, quod expers partibus, atque adeo penitus indiuisibile est. Compositum, quod ex partibus quoquo modo coalescit. Quod rursus, tot diuisionibus, quot totum diuidendum venit, de quibus *infra suo loco* nobis agendum est.

Præterea vnum aliud unitate reali tale est, aliud unitate rationis; unitas autem rationis, tum suppositicia, tum etiam ficta potest esse iuxta doctrinam generalem datam *supra disput.* 12. & aliàs sæpè commemoratam: suppositicia autem unitas, aut vniuersalitatis, aut collectionis, aut disunctionis esse potest iuxta doctrinam datam etiam *disp.* 2. quæst. 3. *consect.* 5. de quâ iterum redibit sermo *infra quæst.* 8.

Denique, vnum in vagum, & determinatum diuidi potest. Vagum dicitur, quod, cum sit vnum ex suo conceptu, per plura tamen disunctiue vagatur, de pluribusve disunctiue dicendum, siue verificandum venit: vt aliquis homo de Petro, vel Ioanne, vel Francisco, vel alio quouis, omnibus reliquis sub disunctione pariter recensitis. Vnde, unitas constituens vnum vagum illa unitas rationis est, quam disunctionis nuper diximus: quia à parte rei non datur quidpiam vagum, aut disunctiuum vt satis ex se notum est, & ex dictis *disput.* 10. satis conspicuum. Vnum autem determinatum est quodlibet aliud, quod non est vagum; atque adeo tum essentiam, tum unitatem habet assignabilem determinatè, seu citra disunctionem.

## QVÆSTIO II.

*Quid sit multitudo, quid multa, & quotuplicia.*

EX quæst. 1. constat, ea venire dicenda multa, quæ in se sunt distincta, siue inter se; quatenus talia, vel, vt definiunt alij cum Arist. lib. 10. *Metaph.* text. 9. ea quæ in se diuisa sunt, sumptâ nimirum diuisione pro distinctione, iuxta ibi notatâ. Etenim, cum vnum, & multa opposita sint, eo ipso, quo vnum est indistinctum in se, quatenus tale, propter explicuimus ibidem, consequens est, vt multa sint distincta in se quatenus talia; multitudo autem iuxta vulgaram huius nominis acceptionem, nihil est aliud ab aggregato multorum vt constat.